



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 2. Vtrum Christus simul fuerit Sacerdos & Hostia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

v. 17. dicit se ponere animam suam. Et c. 17. v. 19. Se sanctificare seipsum pro Apostolis; id est, sacrificare. Secus est de Martyribus, qui non habebant vitam suam in potestate: nec ipsi erant à Deo instituti Sacerdotes ad talem hostiam offerendam.

Martyros seipsum non sacrificant.

DVBIVM I.

Vtrum Christus, ut homo, An ut Deus, sit Sacerdos?

5 Calvinista.

Est sacerdos ut homo.

R Espondeo, Hæretici huius temporis, præsertim Calvinistæ, dicunt Christum, quatenus Deus est, esse Sacerdotem: humanitatem autem esse hostiam. Vtrumque falsum est: nam non erat Sacerdos, nisi secundum naturam, qua meruit & satisfecit: satisfecit enim & meruit actu sacrificandi. Atqui non meruit nec satisfecit, per diuinam naturam, ut supra q. 19. dictum est: quamquam estimatio meriti & satisfactionis, à diuinitate Personæ dependit, tamquam à principio quod operatur. Deinde; Sacerdos necessario includit naturam Deo inferiorem; nam sacrificare, est Deum colere: Christus autem ut Deus, non erat naturæ inferioris, ut posset Deum colere. Ipsum tamen Verbum potest dici Sacerdos per communicationem idiomatum. Ut verò omnis suspicio erroris vitetur, melius est addere determinationem, secundum naturam humanam.

Ut totus Christus, est victima.

Humanitas etiam proprie non erat victima, sed totus Christus, Pater ad Ephes. 5. ad Heb. 9. & 10. & ex D. August. lib. 4. de Trin. c. 14. Nam Christus seipsum obtulit, non solam carnem. Et sicut Deus rectè dicitur mortuus, ita potest dici victima & sacrificium.

DVBIVM II.

Quando Christus accepit Sacerdotij dignitatem?

6 Sacerdos ab initio conceptus.

R Espondeo, In primo momento Conceptionis: natus enim est Sacerdos, & mediator, & Saluator generis humani. Ut patet ex nominis ipsius impositione. Vnde hoc non meruit, sed merito supponebatur; sicut & esse Caput. Confirmatur; Sacerdotium in Christo, præter vnionem hypostaticam, & dona habitualia, quæ ipse non meruit, nihil ponit in ipso, quam moralem quandam potestatem ex deputatione diuinâ prouenientem. Atqui ab initio ad hoc deputatus fuit ex diuinâ benignitate, ut seipsum pro nobis offerret: ergo &c. Vnde statim hoc munere fungi cepit, mente seipsum offerens, variamque sanctificationem operans, tum circa Matrem, tum circa Ioannem Baptistam, tum circa Elizabetham, & alios: & progressu temporis illustriores Sacerdotij functiones pro rerum opportunitate edidit.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus simul fuerit Sacerdos & Hostia?

7

R Espondetur Affirmatiuè. Et Patet ex Apostolo ad Ephes. 5. v. 2. Dilexit nos, inquit, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis.

Fuit Hostia tripliciter.

Notandum est; Esse triplicem hostiam, scilicet Pro peccato, Pacificam, & Holocaustum. Et hoc triplici modo Christus fuit hostia. Nā obrulit se

& in remissionem peccatorum nostrorum; & ut pacem haberemus cum Deo; & ut tandem integrè spiritus noster cum Deo coniungeretur. Vide D. Tho.

ARTICVLVS III.

Vtrum effectus Sacerdotij Christi, sit expiatio peccatorum?

R Espondetur; Expiatio peccatorum & secundum culpam, & secundum pœnam, est effectus Sacerdotij Christi. Patet hoc ex dictis de Christi merito. Vide D. Thomam.

ARTICVLVS IV.

Vtrum effectus Sacerdotij Christi, etiam ad Christum pertinuerit?

R Espondetur; Præcipuus effectus Sacerdotij, quæ Sacerdotium, non peruenit ad Christum: quia hic effectus est expiatio peccatorum. Quod intellige in statu naturæ lapsæ. Alij autem effectus potuerunt ad ipsum peruenire: ut gloria corporis, consummatio beatitudinis, & omnis externa gloria. Circa solutionem secundi Argumenti: Notandum est; Sacrificium ex opere operato non solum esse Satisfactorium, seu Propitiatorium, licet hic sit eius principalis effectus quæ Sacerdotium est; (quo modo intellige quod hic ait D. Thomas:) sed etiam Impetratiuum gratiæ, & gloriæ. Et hoc modo poterat effectus Sacerdotij Christi peruenire ad ipsum Christum, non solum ex opere operantis; id est, ratione deuotionis ipsius offerentis; sed etiam ex opere operato; id est, ratione excellentiæ operis externi.

9 Effectus quidam Sacerdotij ad Christum peruenit.

ARTICVLVS V.

Vtrum Sacerdotium Christi permaneat in æternum?

R Espondetur; Sacerdotium Christi esse æternum. Primò, Quatenus virtus & effectus Sacerdotij Christi manet in æternum; quia importat nobis bona æterna. Secundò, Quia nullum aliud Sacerdotium succedet Sacerdotio Christi, sed hoc semper durabit vsque ad consummationem sæculi. Tertiò, Quia etiam munus huius Sacerdotij, scilicet oblatio Eucharistiæ, & peccatorum expiatio vsque ad finem sæculi perseverabunt. Hoc autem tempus, iuxta Scripturæ phrasim, dicitur æternum. Quarto, Quia etiam postea in omnem æternitatem perseverabit munus huius Sacerdotij in gratiarum actione & laude; & etiam in quadam repetitione oblationis præterita per affectum & approbationem.

10 Sacerdotium Christi æternum quadammodo durabit.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Sacerdotium Christi fuerit secundum ordinem Melchisedech?

R Espondetur Affirmatiuè. Est fidei. Psal. 109. v. 4. Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Quem locum Apostolus ad Heb. 7. 8. & 9. exponit de Sacerdotio Christi. Ut autem intelligatur, quomodo id fuerit:

Notandum Primò, Contra antiquos hæreticos (quorum aliqui dixerunt Melchisedech fuisse Spiritum S., alij virtutem quandam Christo maiore, alij Angelum speciem humanam) hunc fuisse verum hominem; ut patet Gen. 14. & ad Heb. 5. & 7. vbi Scriptura

11 Hæretici de Melchisedech.